

CAPUT III.

DE TEMPORE APTO AD CELEBRANDUM.

§ 1. QUANDO SIT CELEBRANDUM.

235. I. E jure divino nihil obstat quominus cotidie celebretur; jure autem ecclesiastico, celebratio vetatur vel restringitur **tribus ultimis Majoris Hebdomadae diebus**. Nempe :

1º In omnibus et solis ecclesiis in quibus asservatur SS. Sacramentum, licet sollemniter celebrare in Coena Domini et in Sabbato Sancto, peractis omnibus sacris functionibus quae in Missali Romano pro his diebus et pro die Parasceves describuntur. Nulla enim lege haec facultas restringitur nisi resp. S. C. R. 14 Jun. 1659 (Coll. S. R. n. 1120) id prohibentis in ecclesiis quae jure asservandi Sanctissimi carent. Quodsi ita sollemniter celebrari nequeat, tres tamen vel quattuor clerici (aut laici clericorum officia exercere edocti) haberi possint, licebit easdem sacras functiones in ecclesiis parochialibus peragere cum minoribus solennitatibus, quas Bened. XIII in parvo suo Rituali descriptis. (S. C. R. 28 Jul. 1821; Coll. S. R. n. 2616) Ut autem in ecclesiis non parochialibus, puta in parvis conventibus, hoc Rituale Bened. XIII adhibetur, necessarium est indultum S. Sedis (S. C. E. 16 Mart. 1876).

2º Feria VI^a in Parasceve, sub gravi prohibetur celebrare, vel privatum vel sollemniter. Excipitur tantum casus necessitatis ad conficiendum Viaticum.

3º Feria V^a Coenae Domini et Sabbato Sancto, Missae ab officiis Tridui Sacri sejunctae prorsus prohibentur, ut jam constat e repetitis S. C. R. declarationibus (19 Dec. 1654 et 12 Febr. 1690; Coll. S. R. nn. 980 et 1822) et consensu Theologorum moralium (Ball. P. n. 300; Lehmk. II. n. 211; D'Annib. III. n. 402, etc.), quamvis olim multi contrarium docuerint. Quaedam tamen restrictiones in hac generali prohibitione admitti possunt :

a) Paroeciis quae tres clericos habere nequeunt, permittere potest episcopus ut parochus feria V^a Missam lectam celebret. (S. C. R. 28 Jul. 1821) Singulis annis petenda est haec episcopi venia, nisi (ut in pluribus locis contingit) vigeat consuetudo nullius veniae petendae. Idem practice fit in pluribus ecclesiis non parochialibus vel oratoriis. Nec desunt qui eam primum legitimam putant, late interpretati praedictum

responsum S. C. R. non tantum de paroeciis proprio dictis, sed de aliis ecclesiis minoribus *quasi-parochialibus*, quales sunt ecclesiae hospitalium, carcerum, parvorum conventuum, etc. dummodo proprio rectore et jure SS. Sacramenti continuo asservandi gaudeant. (Schneider, Manuale Sacerd. p. 532) Ac reapse potius late quam striete interpretanda videatur concessio quae nemini praejudicat; neque clare id prohibetur ullo e responsis S. C. R. ob quae alii (Gasp. de SS. Euch. I. n. 81) veniam S. Sedis requiri putant, praedictum rescriptum striete interpretantes de solis paroeciis proprio dictis.

b) Juxta resp. S. C. R. 27 Mart. 1773, episcopus permittere potest ut, antequam Missa sollemnis in feria V^a celebretur, altera legatur pro infirmis qui sollemini interesse nequeunt : cujus petitionis necessitatem usus jam videtur sustulisse. (Gasp. l. c. n. 77) Atque ob consuetudinem etiam Romae vigentem (cfr. Gardellini notam ad n. 4583 ejus Collectionis decretorum S. C. R.), probabile censem Gasparri (l. c. n. 82) posse episcopum permittere ut una Missa legatur ubique ante conventualem pro populi commoditate. Sed cum pars cit. decr. 27 Mart. 1773, qua facultas illa episcopo agnoscebat, in recenti Collectione authentica S. C. R. suppressa fuerit, censem ephemerides *Il Monitore ecclesiastico* (Vol. 11. p. 269) eam facultatem sublatam esse. (1) Attamen, si jam non licet inniti declaratione S. C. R., non videtur tameu sublata vis consuetudinis inductae. Quare, donec directe usus a S. Sede reprobetur, censemus eam sententiam non esse necessario relinquendam.

c) Potest Superior Regularis Missam lectam celebrare ad communionem suis praebendam, ubi nou peraguntur sollemnes Majoris Hebdomadae functiones, sed in sacello domestico, vel, hoc deficiente, in ecclesia, januis clausis. (S. C. R. 30 Aug. 1839; Coll. S. R. n. 2799)

d) In Coena Domini, de venia saltem episcopi, licet Missam canere, quamvis in eadem ecclesia Missa Praesanctificatorum die sequenti non celebretur; quo in casu omittendae sunt alterius Hostiae consecratio et processio. Ita respondit S. C. R. 1 Febr. 1895 de ecclesiis quae olim ad Regulares pertinuerant; quibus ad clerum saecularem devolutis, persistat mos celebrandi officia Majoris Hebdomadae.

e) Si in Coenam Dñi incidat festum in quo populus Sacro interesse teneatur, puta Annuntiationis vel S. Josephi, tot Missae dicendae essent quot sufficerent ut populus praecepto satisfacere posset. (S. C. R. 12 Sept.

(1) In decreto Urbis et Orbis, 16 Februarii 1898, huic Collectaneae praefixo, haec leguntur: "SSmus D. N. Leo PP. XIII... statuit Decreta hucusque evulgata, in iis quae a Decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant. "

1716; Coll. S. R. n. 2240) Hoc tamen minime extendendum est ad loca in quibus desiit obligatio his diebus audiendi Sacrum. (S. C. R. 26 Sept. 1868; Coll. S. R. n. 3179) Neque datur obligatio audiendi Sacri aut facultas multiplicandi Missas privatas, si festum de praeecepto incidat in Parasceve vel Sabbatum Sanctum.

f) In Sabbato Sancto multo strictius quam in Coena Domini prohibentur Missae a ceteris officiis sejunctae. Aliquando tamen Missam privatam e specialissimo S. Sedis privilegio in hac die permitti perhibet Lehmkuhl. (II. n. 211) Idem A. censet non fore prohibitam tamquam privatam Missam parochialem vel conventualem, quae propter defectum cantorum legeretur: quod videtur colligi posse e resp. S. C. R. 12 Sept. 1857 ad VII (Coll. S. R. n. 3059), ubi quae de Missis privatis praescribuntur, dicuntur non esse semper servanda in Missis parochialibus vel similibus.

236. II. Missa celebrari potest "quacumque hora ab aurora ad meridiem." (Rubr. Miss. XV) *Aurora* hic intellegitur tempus quo incipit crepusculum matutinum, seu quo sol 18^{um} gradum infra horizontem ingreditur. Hinc patet magnum discrimen circa hujus rubricae applicationem vigere inter varias regiones, prout plus minusve ad polum accedunt, vel ab eodem removentur. Quare pro singulis regionibus solent confici tabellae quae aurorae horam indicant. Pro Belgio vides De Herdt, Sacr. Lit. Prax. t. I. n. 102.

Tempus aurorae et meridiei moraliter sumendum est, ita ut nullam culpam committat qui Missam in aurora terminet vel parum ante meridiem incipiatur. (S. Alph. n. 341)

Quando aurora per totam noctem perdurat, ut hic in Belgio a 26^a Maii ad 19^{am} Julii, nulla lex positiva obstat quominus a media nocte celebretur: non apparet ergo quare, servato decoro, id non liceret. Ubi vero aurora valde tarda est, servari potest consuetudo celebrandi citius quam per generalem regulam licet: ita in Belgio, etiam summa hieme, licet Sacrum incipere hora 5^a. Tandem ubi aurora non apparet, ut sit certo anni tempore in regionibus polaribus, licet inchoare Missam ab exordio vitae civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines, ut declaravit 18 Sept. 1634 specialis Congregatio. (Coll. S. R. n. 614)

237. III. Potest Sacrum celebrari citius vel tardius quam regula praecedente statuitur:

1^o In necessitate, ex. gr. ut morituro daretur Viaticum: nulla hora observanda esset in hoc casu.

2^o Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire Sacrum.

3^o Ob rationem aliquam transeuntem, puta funera magni principis, contionem, iter, publicam supplicationem, collationem ordinum, etc. Ob has similesve causas licebit celebrare una hora ante auroram vel post meridiem.

4^o Ob dispensationem ex rationabili causa datam ab episcopo vel, si de sacerdote Regulari agitur, ab ipsius Superiore. (S. Alph. n. 344)

5^o Ob privilegium a S. Sede concessum. Disputatur autem num revocata sint a Trid. privilegia quae ante hoc Concilium Regularibus circa praesens argumentum collata erant. Affirmat S. Alph. n. 342, quamquam alibi (de Privil. n. 122) rem ut dubiam exhibit; negant alii, ut Ball. P. n. 294. Sed parum refert, cum ampla privilegia Regularibus post Tridentinum concessa fuerint. Ita Congregationi Puritatis Pius VI indulxit (14 Jan. 1783) facultatem celebrandi duabus horis ante auroram et post meridiem. Haec privilegia participant quicunque in privilegiis Regularium communicant.

6^o In nocte Nativitatis Dñi licet tantum celebrare Missam sollemnem vel, ubi favet consuetudo, lectam quidem, sed quasi conventualem cui assistat ex. gr. communitas religiosa. (Lehmk. II. n. 217) Id deducitur e Rubr. Gener. Missalis (t. 15. n. 4) et e decreto quo S. C. R. (18 Sept. 1781; Coll. S. R. n. 2520) tamquam abusum ab episcopo eliminandum, reprobavit consuetudinem qua unusquisque sacerdos ante auroram celebret Missam privatam, absque indulto S. Sedis. Insuper, absque hujusmodi indulto, jam non licet post cantatam media nocte primam Missam, alias duas immediate celebrare. (S. C. R. 20 Apr. 1641; Coll. S. R. n. 752)

IV. Praeceptum non celebrandi extra horas rubrica statutas ex genere suo obligat sub gravi. Probabilius tamen non committitur peccatum grave nisi, absque ulla causa excusante, Missa incipiatur hora ante auroram vel hora post meridiem. (S. Alph. n. 346)

§ 2. QUOTIENS LICEAT EADEM DIE CELEBRARE.

238. I. Quamvis jure divino non prohibeat sacerdos quominus pluries eadem die celebret, a multis jam saeculis statutum est ut *semel tantum in die id liceat*, excepto casu necessitatis et die Nativitatis Dominicæ. (Innoc. III, c. *Consulisti*, Decr. I. 3. t. 41) Praeterea, ex speciali concessione Bened. XIV, in regnis Hispaniae et Lusitaniae licet die omnium fideliuum defunctorum tria Sacra celebrare. Restat ut explicetur quis hic censendus sit casus necessitatis: qua in re fere sequemur Instr. a. S. C. de P. F. datam 24 Maii 1870, (Coll. P. F. n. 792)

II. Necessitas ob quam liceat iterare Sacrum seu *binare*, juxta praesentem disciplinam, intellegenda est tantum ea quae exsurgat ex necessitate spirituali populi et e paucitate sacerdotum, ob quam fiat ut, etiam stipendio oblato, nullus alias inveniri possit qui alteram Missam celebret. Hinc prohibetur Missae iteratio :

1º In diebus festis quibus populus jam non adstringitur ad Sacrum audiendum. S. C. de P. F. 28 Sept. 1837; Coll. n. 789) Attamen quandoque, favente longa consuetudine, S. Sedes id pro quibusdam festis suppressis indulxit. (Act. S. S. t. 12 p. 232)

2º In favorem eorum qui praecepto satisfacere vellent in oratoriis suis privatis. (Instr. cit. n. 6) Indultum tamen interdum concessum est in favorem monialium, quae strictae clausurae subjacent. (Act. S. S. t. 16. p. 37)

3º Ob meram consuetudinem, quae potius, tamquam abusus, eradicanda esset. (Bened. XIV, Const. *Declarasti nobis*, 16 Martii 1746)

239. III. Ex jure communi, cum approbatione Ordinarii et secluso quovis S. Sedis indulto, iterare Sacrum licet :

1º Parocho qui duas parochias obtinet vel duos populos adeo sejunctos, ut ipsorum alter parocho celebranti diebus festis adesse nequeat, ob locorum maximam distantiam. (Bened. XIV Const. cit.) Immo, si duae sunt paroeciae, non tantum potest, sed debet parochus, deficiente altero sacerdote et commoditate utriusque populi congregandi, bis Missam celebrare. (S. C. P. F. Instr. cit. n. 11) Quodsi forte plus quam duabus paroeciis praeesset parochus, probabilius nonnisi bis Missam celebrare deberet, cum a recepta consuetudine et mente S. C. C. (in causa S. Jos. de Costarica, 6 Maii 1893) alienum videatur ter in die celebrare. (Gasp. de SS. Euch. I. n. 379) Attamen, ob contrariam aliorum sententiam (Act. S. S. t. 6. p. 565) et defectum certae prohibitionis, non peccaret, si in singulis paroeciis semel celebraret.

2º Parocho, qui uni tantum paroeciae praeest et unam ecclesiam habet in qua Missa celebratur, si ad eam insimul universus populus convenire non potest. (Bened. XIV Const. cit.) Haec autem impossibilitas non est restringenda ad casum, in quo ecclesia nimis angusta est ut totum populum capiat, sed extendi potest ad alia impedimenta permanentia quae obstent quominus omnes ad unam Missam confluant, ut ex eadem Const. recte colligit Lehmk. (II n. 213)

3º Cuilibet sacerdoti, saltem probabiliter, ad dandum Viaticum morituro (Lugo, disp. 15. n. 67), etiamsi jam sumptae essent ablutiones. (n. 202)

Extra hunc tertium casum aliumve plane extraordinarium et repentinum, non licet presumere approbationem episcopi : siquidem ad Ordinatum,

narium pertinet tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi, ferre sententiam. (Instr. S. C. de P. F. n. 11)

240. IV. Praeter casus jure communi statutos, saepe conceditur a S. Sede episcopis, et per eos presbyteris, facultas specialis " celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa celebrans non sumpserit ablutionem. „ De cujus facultatis usu et amplitudine haec notentur, praecipue ex cit. Instr. S. C. de P. F. :

1º Haec necessitas non debet esse absoluta, sed moraliter sumenda est, neque coercetur ad populi indigentias diebus festivis, sed comprehendit quoque alios casus, qualis esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in duabus paroeciis. (Instr. cit. n. 11)

2º Episcoporum prudentiae reliquit S. Sedes judicium de sufficientia causarum, ob quas Missam iterare liceat. Interrogata autem a variis episcopis, significavit non posse definiri quantus numerus fidelium, vel quanta ecclesiarum distantia requiratur ut Missa iterari possit ; non esse autem tenorem concessionis tam rigorose interpretandum, ut fere nullo in casu ad actum reducatur. Speciatim e responsis patet, quandoque numerum duodecim fidelium et mediae leucae distantiam, accendentibus specialibus adjunctis, sufficere posse. (Instr. cit. nn. 12-17)

3º Numquam licet, vi harum facultatum, plus quam bis eadem die celebrare, quamvis concurrerent graves causae quae saepius celebrare suaderent. Excipe, si S. Sedes id expresse indulxit, ut concessit sacerdotibus Mexicanae dioecesis, urgente necessitate, ter celebrare diebus Dominicis et festivis. (S. C. C. 20 Dec. 1879)

V. Qui Sacrum iteraturus est, omnino prohibetur quominus ablutiones sumat ; et, si eas sumpserit, ob jejunium laesum, a Sacro iterando abstinere debet, licet populus propterea Sacro carere debeat. Cfr. tamen n. 202. Ritum servandum a sacerdote binante descriptis S. C. R. Instr. 12 Sept. 1857. (Append. Rit. Rom. p. 12)

VI. Facultas binandi communicata alicui sacerdoti ut ea utatur ubi justa causa occurrat, puta in locis missionum, nequit, ultiote personalis, alii communicari qui loco indultarii Sacrum iteret. Verum, ubi episcopus probavit vel concessit ut in tali determinata ecclesia Sacrum diebus festis ab eodem sacerdote iterari queat, quotiens desit alter celebraturus, binare potest quilibet sacerdos in eadem ecclesia celebrans, puta vice parochi aegrotantis : tatis enim facultas (qualis praesertim in regionibus nostris datur) manifeste localis, non personalis est.

VII. E praxi et decretis S. C. C. constat sacerdotem, qui facultate binandi utatur, prohiberi quominus stipendium pro altera Missa accipiat, etiamsi priorem pro grege applicare debuit. Attamen Ordinariis Missionum concessit Pius IX ut, gravi et justa causa intercedente, sacerdotibus suis indulgere valeant alterius stipendiī aceptionem. (Litt. Encycl. 15 Octob. 1863; Coll. P. F. n. 887) Extra loca Missionum, S. Sedes quandoque concedit ut alterum stipendium accipiatur in pium opus impendendum: ib obtinet in pluribus dioecesis Belgii. Potest quoque episcopus permettere ut binantes accipiant aliquam remunerationem, intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet elemosyna pro applicatione Missae. (S. C. C. 23 Maii 1861) Tandem omnibus licet stipendium accipere pro singulis e tribus Missis quae in Nativitate Dñi celebrari solent.

CAPUT IV.

DE LOCO APTO AD CELEBRANDUM.

241. I. In hodierna disciplina regulariter Sacrum celebrari nequit nisi in **loco sacro**, i. e. in ecclesia vel oratorio. Hic autem locus debet esse consecratus, vel benedictus, minime vero violatus, exsecuratus vel interdictus.

Colligitur ex Trid. (Sess. 22. de observ. et evit. in celebr. Missae) jubente "ne patientur (episcopi) privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria... sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi."

II. Episcopi possunt jure suo ordinario permittere ut Missa celebretur:

1º *In ecclesiis.* Discriben praecipuum intersacellum publicum et ecclesiam in eo est, quod haec principaliter toti populo, illud principaliter alicui collegio vel familiae inserviat. (S. C. R. 22 Jul. 1855)

2º *In oratoriis publicis.* Ea autem sunt "quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dicata, benedicta vel etiam sollemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum." (Decr. S. C. R. 23 Jan. 1899)

3º *In oratoriis semi-publicis.* Quaenam illa sint, dictum est Vol. I n. 342. Etiam in his oratoriis episcopus jure suo ordinario concedere potest ut plures Missae qualibet die celebrentur, prout S. C. R. declaravit in decreto Nivernensi 8 Martii 1879 (Act. S. S. t. 31. p. 413), quod confirmatum est a Leone XIII cit. decr. 23 Jan. 1899.

III. Facultas celebrandi in oratoriis stricte privatis hodie regulariter a solo R. P. concedi potest; ab episcopo autem per modum actus trans-euntis seu ad modicum tempus, ubi adsunt magnae et urgentes causae. Ita eruitur e Trid. (l. c.), cuius sensum, post multas controversias, defi-niverunt varia decreta S. C. C. speciatim 20 Dec. 1856.

Quaenam sint illae *magnae et urgentes causae* (Decr. cit.), non fuit in specie declaratum; eae quae a S. Alph. (n. 359) probantur, ex. gr. ut vir insignis vel sacerdos morbo laborans Sacro interesse vel celebrare possit, cum severitate decretorum SS. CC. et praxis receptae componi non posse videntur. (Van Gameren, de Orat. p. 182 seqq.)

Notandum, ex cit. decreto Nivernensi (ad 2^{um}), a S. Sede obtinendam esse facultatem erigendi in piis communitatibus alia oratoria praeter capellam seu oratorium principale, ubi aliqua necessitas id postulat, qualis foret magnus numerus sacerdotum in iis communitatibus degentium vel commoditas infirmorum qui oratorium principale adire nequeant.

242. IV. Non licet episcopo concedere ut Missa celebretur in **loco prorsus profano**, ut puta sub dio, nisi per modum actus transeuntis et ob magnam urgentemque causam; qualis adesse censetur:

1º Cum templo incendio, terrae motu et similibus calamitatibus celebrationi inepta facta sunt: quo casu id licebit etiam sine episcopi facultate, si haec tempestive peti nequit.

2º Quando exercitus in castris degit, praesertim diebus Dominicis et festis.

3º Quando magna multitudo, ex. gr. in pia peregrinatione, Sacro careret si in ecclesiis tantum celebraretur.

V. Missionariis concedi solet a S. Sede ampla facultas celebrandi in quocumque loco decenti, ubi non sunt ecclesiae vel oratoria privata, et ubi sunt oratoria privata, absque praejudicio indultariorum, seu ita ut eorum celebratio non impediat quominus alterum Sacrum ibidem celebretur, quamvis regulariter unum tantum in iis celebrare liceat.

Per se tamen hoc privilegio non conceditur facultas celebrandi *in mari*: requiritur enim distinctum privilegium quod hodie a solo R. P. concedi potest, ut e resp. S. C. de P. F. (20 Jan. 1667; Coll. n. 775) et praxi S. Sedis constat. (Bened. XIV, de Sacrif. Miss. l. 3. c. 6. n. 11; S. Alph. l. 6. n. 356) Haec facultas concedi solet sub his condicionibus: ut assistat alter sacerdos, ut mare sit tranquillum et nullum adsit irreverentiae periculum. Cfr. Coll. S. M. n. 119, 3. Quandoque jam expresse conceditur ut sine assistentia alterius sacerdotis celebretur, ideoque sufficit ut alia ratione caveatur effundendi S. Sanguinis periculum.

VI. Violatur seu polluitur ecclesia quando in ea exercentur actiones quaedam Jure determinatae, quae loci sanctitati vehementer repugnant. Has explicare solent Canonistae in l. 3. Decret. t. 40. Sunt autem, juxta communem doctrinam :

1º Sanguinis effusio, quae actu graviter peccaminoso in ecclesia cau-
setur. Non polluitur autem, si paucae tantum guttae sanguinus effundun-
tur (nam effusio aliquam copiam requirit), vel si omnis, aut saltem
gravis culpa abest, ex. gr. si sanguis effunditur ab amente, casu, rixa
puerorum, etc. aut in easu legitimae defensionis. Sufficit tamen vulnera-
tum in ecclesia consistere, licet vulnerans foris stet.

2º Homicidium vel suicidium, quod intra ecclesiam voluntarie, non
autem mere casualiter, causetur, licet forte mors extra ipsam ecclesiam
sequatur.

3º Humani seminis effusio graviter illicita, scil. per voluntariam pol-
lutionem vel copulam. Comprehenditur etiam copula conjugalis quae,
sine necessitate, intra ecclesiam consummetur.

4º Sepultura excommunicati vitandi vel infidelis, non autem (proba-
bilis) catechumeni vel infantis non baptizati, qui a parentibus fidelibus
natus sit.

Ecclesiae nomine hic veniunt probabilius omnes et solae ecclesiae vel
oratoria, quae consecrationem vel benedictionem in Pontificali vel
Rituali Rom. pro ecclesia vel oratorio publico positam acceperint : nam
haec omnia et sola loca veniunt nomine *ecclesiarum*, de quibus loquuntur
dispositiones Juris. (Suar. de Euch. disp. 81. sect. 4. n. 6) In his quoque
aedificiis, non inducitur pollutio si tria priora sclera peraguntur extra
partem quae *directe* cultui divino inservit, puta in turri, sacristia, supra
tectum vel fornicem, in crypta, etc. (Bus. ap. S. Alph. n. 362) vel in
coemeterio ecclesia adiacente. Tandem ad effectum hunc inducendum
requiritur ut crimen ab initio sit vel postea evadat *publicum*, seu tale ut
nulla tergiversatione celari possit.

Non inducitur pollutio aliis actionibus, quae vel maxime locum sacrum
dedeceant. Attamen practice reconciliantur ad cautelam ecclesiae in
quibus talia peracta sint, puta in quibus milites stationem habuerint.
(S. C. R. 27 Febr. 1847; Coll. S. R. n. 2938)

243. VII. Sub gravi prohibetur quominus Missa vel alia officia cele-
brentur in ecclesia polluta, antequam reconcilietur. Excipitur casus
necessitatis, in quo tamen (si fieri potest) venia episcopi est requirenda,
puta si populus non habet aliam ecclesiam ubi Missam audiat. (S. Alph.
n. 361) Quodsi polluatur dum sacerdos celebrat, is pergere debet si
jam canonem incepit. (Miss. Rubr. de def. X)

Reconciliatio ecclesiae, quae sit tantum benedicta, fieri potest per
sacerdotem ab episcopo delegatum, eo ritu qui in Rit. Rom. describitur.

Si vero consecrata est, reconciliatio facienda est ab episcopo, vel a
presbytero quem episcopus, vi Indulti Apostolici, delegaverit, ritu in
Pontif. Rom. descripto. Facultas delegandi in hoc posteriore casu solet
reperiri inter facultates quinquennales episcoporum. (Aichner, op. cit.
§ 203)

VIII. Exsecratur, seu consecrationem suam amittit ecclesia, quando
ita mutatur aut amplificatur ut jam, morali aestimatione, non sit eadem
ecclesia : quod contingit si tota vel majori ex parte destruitur, licet
cum eadem materia iterum aedificetur, aut si additur nova pars major
quam quae antea exstabat. Non indiget autem nova consecratione
ecclesia cui additur pars minor : huic enim consecratio a majore parte
communicatur. Idem dicendum de ecclesia quae successive per partes
instauratur, etiamsi jam nihil superest ex aedificio cui consecratio pri-
mitus collata est. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 40. n. 23 seqq.)

Ex responso S. C. R. (11 Jan. 1894; Act. S. S. t. 26. p. 439) non indi-
gent nova consecratione ecclesiae, e quarum parietibus crusta majori
ex parte disjecta fuerit. Ideo jam non est admittenda contraria doctrina
quam communiter DD. tradebant. (Schmalzgr. l. c.)

Benedictio autem communiter ab AA. dicitur adhaerere pavimento et
manere, etiam dirutis parietibus, modo aedificium non fuerit destruc-
tum auctoritate superioris et sine spe reaificationis. Attamen haec
nulla lege firmata sunt, ac proinde, quotienscumque aedificium prorsus
novum erigitur, nihil impedit quominus nova benedictione donetur.
(Gasp. l. c. n. 183) (1)

CAPUT V.

DE REBUS AD CELEBRANDUM REQUISITIS.

§ 1. DE ALTARI.

244. I. Numquam licet Missam celebrare nisi in altari, ut e praxi
Ecclesiae constat, neque S. Sedes concedere solet facultatem celebrandi
sine altari saltem portatili. (S. C. de P. F. 2 Sept. 1780; Coll. P. F.
n. 828) Distinguitur autem triplex altaris species :

(1) De celebratione Missae in ecclesia interdicta dicemus n. 623.